ANAEMIAE POST TYPHUM ABDOMINALEM EXORTAE EXEMPLUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHICA

AD SUMMOS

IN MEDICINA,

CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VIII. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXIV

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ADOLPHUS ERNESTI,

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

C. BENNECKE, DR., MED. PRACT.

P. KRABLER, DR., MED. PRACT.

AEM. WIEDEMANN, DR. MED.

GRYPHISWALDIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

FRANC. EDUARDO WEISSBACH,

PASTORI PRAENOBILISSIMO

VIRO DOCTISSIMO

HUMANISSIMO CARISSIMO

HASCE PAGELLAS

GRATI ANIMI DOCUMENTUM

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Typhus abdominalis plerumque in sanitatem solidam integramque exire solet; mors aut tum evenit, quum ad summum provectus est morbus (adducitur mors aut febri summa, cordis paralysi pulmonumque oedemate aut narium intestinique haemorrhagia aut peritonitide intestini perforatione exorta) aut infertur mors decubitu lenta reconvalescentia adducto, aut aliis, quibus postea affici solet aegrotus morbis, quorum in numero pulmonum phthisis assiduaque debilitas universa, anaemia, saepissime sunt observata.

Anaemia unaquaeque consistat necesse est aut in materiae consumptione adauctissima, aut in ciborum subvectione vitiosa, ita ut corpori omnino modo non sufficiente praebeantur alimenta (id quod plus minus factum est in Silesiorum epidemiis, quibus nomen erat: „Hungertyphen") aut ita ut alimenta quamquam sufficiente modo formaque apta praebita corpori tamen non conducant, quoniam typho commutationes affectae sunt in vasis sanguinem praepa-

rantibus, quibus functiones conturbantur, e. g. in intestinorum villis et mesenterii glandulis, quae partim immobilia sunt facta, partim omnino amissa. Quam quidem anaemiae commutationem pathologicam typho abdominali antegresso usque permanentis quamvis facile esset conjicere, tamen nondum multa exstant exempla, in quibus postea eventa haec pathologico-anatomica plane inveniri potuerunt, quare supervacaneum non videtur esse anaemiae typhum secutae exemplum in medium proferre, quo quidem exemplo non modo post mortem pathologica commutatio supra dicta in tractu intestino clarissime comprobata, sed etiam ante mortem absoluta species clinica praebita est. Quod quidem exemplum anno superiore in nosocomio nostro observatum est, ea in parte, cui Ill. Ruehle praeest, cui viro amplissimo facere non possum, quin hoc loco gratias agam quam maximas, quippe qui benevolentissime mihi permiserit contemplari hunc casum eumque in lucem proferre.

Historia morbi.

Die quinto mensis Februarii anni superioris Joh. Schroeder, operarius, quadraginta sex annos natus, in nosocomium nostrum aegrotus est receptus. Contendit ille, superiore tempore semper commoda se usum esse valetudine sed paullo ante secalis messem morbo se esse defunctum gravissimo, exorto una cum capitis doloribus, insomniis, deliriis, diar-

rhoeis et febri summa et post quatuor demum hebdomades composito. Quo temporis spatio intermisso quamquam surgere poterat e lecto, tamen debilissimus neque sustinendis laboribus par fuerat. Quam ad debilitatem dolor in epigastrio accesserat gravis, qui perpetuo eum pressisse neque tamen coenis cibisque certis gravius dicitur esse excitatus. Defaecatione semper normali se gavisum esse dicit, nonnunquam etiam diarrhoea. Neque magnum est temporis spatium, ex quo pedes, crura, scrotum oedemate sunt affecta. Sequitur, ut quinam singulis diebus fuerit morbi status videamus.

Ac primum quidem aegrotus vultus speciem non quidem cachecticam, attamen pallidissimam atque exsanguem praebet, cutis flaccida in genis paullum demissa est. Pulsus imbecilli sunt molles citatioresque, temperatura non est adaucta.

Cutis est sicca; tussi non laborat aegrotus. Thorax locum non habet, in quo percussionis sonus sit inanis, respirationis strepitus ubique purus est vesicularisque. Item cordis soni tenues sunt sine crepitu. Hepatis sonus non inanis exoritur in altitudine solita; in sinistro thoracis latere sonitus tympanicus usque ad ipsum pulmonum sonitum propagatur, lien igitur auctus non est. Hepatis mensura in linea mamillari viij Ctr., in linea sternali vj Ctr. Venter mollis est, dolore vacat, sed ad ipsum umbilicum, si a sinistro arcu costarum manum deducimus, locum percipimus digitis aliquantum resistentem, quo vehementius tacto aegrotus dolore se affici dicit; tumor

rantibus, quibus functiones conturbantur, e. g. in intestinorum villis et mesenterii glandulis, quae partim immobilia sunt facta, partim omnino amissa. Quam quidem anaemiae commutationem pathologicam typho abdominali antegresso usque permanentis quamvis facile esset conjicere, tamen nondum multa exstant exempla, in quibus postea eventa haec pathologico-anatomica plane inveniri potuerunt, quare supervacaneum non videtur esse anaemiae typhum secutae exemplum in medium proferre, quo quidem exemplo non modo post mortem pathologica commutatio supra dicta in tractu intestino clarissime comprobata, sed etiam ante mortem absoluta species clinica praebita est. Quod quidem exemplum anno superiore in nosocomio nostro observatum est, ea in parte, cui Ill. Ruehle praeest, cui viro amplissimo facere non possum, quin hoc loco gratias agam quam maximas, quippe qui benevolentissime mihi permiserit contemplari hunc casum eumque in lucem proferre.

Historia morbi.

Die quinto mensis Februarii anni superioris Joh. Schroeder, operarius, quadraginta sex annos natus, in nosocomium nostrum aegrotus est receptus. Contendit ille, superiore tempore semper commoda se usum esse valetudine sed paullo ante secalis messem morbo se esse defunctum gravissimo, exorto una cum capitis doloribus, insomniis, deliriis, diar-

rhoeis et febri summa et post quatuor demum hebdomades composito. Quo temporis spatio intermisso quamquam surgere poterat e lecto, tamen debilissimus neque sustinendis laboribus par fuerat. Quam ad debilitatem dolor in epigastrio accesserat gravis, qui perpetuo eum pressisse neque tamen coenis cibisque certis gravius dicitur esse excitatus. Defaecatione semper normali se gavisum esse dicit, nonnunquam etiam diarrhoea. Neque magnum est temporis spatium, ex quo pedes, crura, scrotum oedemate sunt affecta. Sequitur, ut quinam singulis diebus fuerit morbi status videamus.

Ac primum quidem aegrotus vultus speciem non quidem cachecticam, attamen pallidissimam atque exsanguem praebet, cutis flaccida in genis paullum demissa est. Pulsus imbecilli sunt molles citatioresque, temperatura non est adaucta.

Cutis est sicca; tussi non laborat aegrotus. Thorax locum non habet, in quo percussionis sonus sit inanis, respirationis strepitus ubique purus est vesicularisque. Item cordis soni tenues sunt sine crepitu. Hepatis sonus non inanis exoritur in altitudine solita; in sinistro thoracis latere sonitus tympanicus usque ad ipsum pulmonum sonitum propagatur, lien igitur auctus non est. Hepatis mensura in linea mamillari viij Ctr., in linea sternali vj Ctr. Venter mollis est, dolore vacat, sed ad ipsum umbilicum, si a sinistro arcu costarum manum deducimus, locum percipimus digitis aliquantum resistentem, quo vehementius tacto aegrotus dolore se affici dicit; tumor

nusquam tactu explorari potest. In scroto extremitatibusque inferioribus oedemata sunt parva. Appetitus bonus, lingua pura est ruboreque perfusa; urina sine albumine et sedimento pellucida est badia ejusque pondus specificum: 1,011.

Medicamentum aegroto datum:

Tinctur. nuc. vomic. ℥β.

Tinctur. belladonn. e h. recent. ʒj.

M. D. S. ter per diem gtt. xv.

Diaeta: Tertia forma et lac.

Die xiv. m. Febr. Venter ubique est mollis, nusquam abnorme quid percipitur. Prope epigastrium manus imposita vehementer tollitur. Inter processum xiphoideum umbilicumque, ubi jam antea locus resistens inveniebatur, etiam hodie resistentia digitis percipi potest profundius sita, quae supra sine finibus, infra convexa videtur esse neque tamen adhuc tumor appellari potest. Dolor quidem, quo hic locus affectus fuerat, prorsus est deminutus. Hepatis percussio qualis antea; extremitatum oedemata decrescunt, scroti jam plane sublata sunt. Temperatura nunquam est adaucta, pulsus adhuc imbecilli sunt.

Die xxij. Corporis subuculati pondus: 50,4 Kgr.

Die xxiij. Ordinata sunt:

Tinct. chinae composit. ℥β.

Tinct. nuc. vomic. ʒj.

M. D. S. ter per diem gtt. xx.

Deinde quod ad diaetam attinet: secunda forma, ova duo mollia et extractum malti Trommeri.

Die xxv. Aegrotus quum surrexisset e lecto et per cubiculum esset ambulaturus, caligentibus oculis, quum non statim ei adesset, quo inniteretur procubuit. In lectum impositus paulo post rursus sese collegit. In colli venis strepitus plane auditur. Febri caret, pulsus imbecilli paullulumque frequentiores sunt. Lingua pura est, appetitus bonus itemque gustus est purus. Medic. dat. Tinct. ferr. acet. Radem. ter per diem gtt. xxx.

Die vj. mens. Mart. Urina fusca est, pondus ejus specific.: 1,017.

Die j. Corporis pondus: 47,74 Kgr.

Die viij. Corporis pondus: 48,71 Kgr. Urinae color jam non est limpidus; hepatis percussio in linea sternali: v Ctm., in linea mamillari ix Ctm. Venter mollis est; aegrotus dolorem se habere dicit ad umbilicum. Lingua est fusca splendidaque et pura. Si aegrotus vehementius vertit collum, crepitus systolicus colli vasorum auditur; in sinistra vena jugulari interna sonitus quem Francogalli nominant „bruit de diable", auditur, non in dextra.

Die xv. Corporis pondus: 50,70 Kgr. Die superiore quae aegrotus edidit excrementa tenuia erant aquaticaque; abdomen vacat dolore, tenesmus non exstat. Vesperi aegroto data est: Tinct. opii spl. (gtt. xv.). Hodie semel edidit excrementa solita.

Die xxij. Corporis pondus 49,63 Kgr. Nonnunquam diarrhoeis laborat, quae opii portione data celeriter conquiescunt; urinae color jam est austerus, pondus specif. 1,015

Die xxix. Corporis pondus: 49,55 Kgr. Quod ad pulsus attinet, aegrotus erectus si stat, pulsuum numerus viginti ictibus major est quam si cubat. Saepius per diem alvus est soluta, excrementa pulti similia sunt, sanguine non admixto, neque tenesmus exstat.

Ordinatur: Cuique dosi extracti malti adduntur tincturae opii gtt. ij.

Die ij. mens. April. Adeps invenitur in faecibus; quodsi cibos spectamus, quos aegrotus consumit, faeces non satis esse videntur copiosae. Venter est mollis et dolore caret, in sinistro latere percussionis sonus est inanis usque ad superiorem costae octavae marginem et 1″ ante costarum arcum. (Lien.) Lien latus est 7 Ctm. Hepatis latitudo in linea mamillari 7 Ctm. Lingua rubra est, laevis, constrata raris epitheliis. Ab hoc die quater per singulos dies gtt. xxx praebentur tincturae ferri acetic. Rademach.

Die vj. Corporis pondus: 49,50 Kgr.

Die viij. Urinae color rursus perlucidior est, quam antea, pondus specif. 1,015; in faecibus adeps permultus exstat. Sinistro in colli latere venarum strepitus semper auditur; cordis soni puri sunt sed valde summissi, ejus percussio in tertio spatio intercostali parva, in quarto 6. Ctm. lata est, eademque in quinto. Cordis ictus aegroti jacentis percipi nequeunt, pulsus molles sunt, imbecilli, tam frequentes quam esse solent, 80 ictus, si cubat aegrotus.

Die x. Pulsuum numerus cubantis est 64, seden-

tis 76, sin vero e lecto surrexit et per cubiculum ambulavit, numerus est 116.

Die xij. Corporis pondus: 48,87 Kgr. Urinae mediocriter alcalicae, pondus specif. 1,011. Pulsuum numerus cubantis 68, sedentis 72, stantis 104.

Die xv. Urinae mediocriter alcalicae, pondus specific. 1,017. Pulsuum numerus cubantis 64, sedentis 80, stantis (neque hic constans est numerus) 112—120.

Die xvij. Aegrotus complures horas, postquam surrexit, per cubiculum ambulavit, neque ei aures sonabant oculive caligabant. Pulsuum numerus cubantis 68, sedentis 80; urinae copia per viginti quatuor horas collectae 2100 Ctm. cub., pondus specific. 1,019.

Die xix. Corporis pondus: 47,90 Kgr. Urinae copia: 1600 Ctm. cub., pondus specific. 1,010. Pulsuum numerus cubantis 72, sedentis 84.

Die xxvj. Extremitatum oedemata plane sublata sunt. Urinae copia 1710 Ctm. cub. Pondus specif.: 1,012. Corporis pondus: 48,70 Kgr.

Die xxvij. Urina turbida est alcalicaque, sed limpida fit calefacta, admixto acido nitrico. Pulsuum numerus cubantis 72, sedentis 84, stantis 120. Hisce diebus neque oculi caligaverunt neque aliae exstiterunt res virium imbecillitate adductae.

	Urinae copia:		Pondus specif.:
Die xxviij.	1810	Ctm. cub.	1,010.
- xxix.	1780	- -	1,017.
- xxx.	1400	- -	1,018.

	Urinae copia:			Pondus specif.:
– j. m. Mai.	1780	Ctm.	cub.	1,017.
– ij.	1150	–	–	1,010.
– iij.	900	–	–	1,017.
– iv.	1030	–	–	1,014.
– v.	1018	–	–	1,010.
– vj.	1610	–	–	1,015.
– viij.	1100	–	–	1,016.
– ix.	1500	–	–	1,015.
– x.	1050	–	–	1,012.

– iij. Pondus corporis: 49,40 Kgr.
– x. - - 48,70 -

Jam biduum est diarrhoea. Lingua laevis est rubraque. Venter dolore caret itemque tumore. Ordinata sunt: Tinct. ferri acet. Rademach. quater gtt. xxx. extractum malti Trommeri; secunda forma, ova et caffea.

Die xvij. Corporis pondus: 48,97 Kgr. In edendis excrementis tenui pulti similibus (id quod per diem ter saepiusque fit) aegrotus et dolore in abdomine et tenesmo caret.

Die xvij. Corporis pondus: 48,97 Kgr.
Die xxiv. - - 48,25 -

	Urinae copia: (per h. 24 collectae)			Pondus specific.:
	520	Ctm.	cub.	1,025.
Die xxv.	1010	–	–	1,015.
– xxvj.	1990	–	–	1,008.
– xxvij.	720	–	–	1,017.
– xxviij.	770	–	–	1,015.

Die xxix.	600 Ctm. cub.	1,017.

- xxx. Nudius tertius tempore meridiano aegrotus frigore est correptus, quod calor secutus est; posteriore die valetudine usus est mediocri. Hodie post meridiem, hora tertia audita, iterum frigore est correptus, vesperi totum corpus sudore manavit. Temperatura 39,8° C. Queritur aegrotus de capitis doloribus et debilitate. Ordinatum: Chinii sulphur. (℈j ad ℥vj) per singulas horas cochlear.

Die j. mens. Junii. Aegrotus ab hujus diei tempore matutino per singulas horas hausit cochlear solutionis Chinii; febri caret hodie, sed conflictatur aegrotus sub vesperum capitis doloribus auriumque strepitu.

Die iij. Hora undecima antemeridiana iterum aegrotus in febrim incidit, quae acerbior fuisse dicitur, quam priores.

Die v. Febri hodie vacat. Urina abundat uratis.

	Urinae copia:	Pondus specific.:
Die vi.	630 Ctm. cub.	1,021.
- vij.	500 - -	1,022.
- viij.	870 - -	1,019.
- ix.	700 - -	1,020.
- x.	670 - -	1,021.
- xj.	610 - -	1,017.
- xiv.	400 - -	1,022.
- xv.	400 - -	1,017.
- xvj.	400 - -	1,018.

Pulsuum numerus cubantis 100, sedentis 120, stantis 136.

Die xix. Pallidissimus est cutis color, etiamque membrana labiorum et conjunctivarum pallet. Venarum strepitus, a Francogallis nominatus „bruit de diable", quammaxime in sinistro colli latere auditur. Sinistra in parte sub clavicula inspiratio vesicularis quidem, exspiratio autem per longius tonat tempus quam assolet. Eodemque in loco percussio est inanis. Respiratio citata non est. Lienis percussio 7 Ctm. lata, 8 Ctm. longa infra sine fine determinato in parte adversa plane non excedit lineam normalem. Ter circiter per diem excrementa reddit pulti similia, bilis colore minime imbuta, quibus neque sanguis est admixtus, neque pus, sed adipis magna copia exstat, id quod aethere adhibito demonstratur. Lingua adhuc semper fusca, sine epitheliis laevis est ejusque membrana mucosa, tenuissima, speciem praebet carnis crudae. Surgere conatus aegrotus animo linquitur, quare celeriter se reponat semper necesse est.

Ordinata sunt: Tinct. chinae compos. ter per diem gtt. xx, Ferr. carbon. sach. gr. v ter per diem. Diaeta ut adhuc.

Die xx. Temperatura: 37,6^{0} C.

		Urinae copia:	Pondus specific:
Die	xx.	320 Ctm. cub.	1,021.
-	xxj.	270 - -	1,018.
-	xxij.	340 - -	1,014.
-	xxiij.	250 - -	1,017.
-	xxiv.	330 - -	1,012.
-	xxv.	550 - -	1,010.

Temperatura: 38,1° C. In recto mensus sum, quod axilla propter maciem permagnam non satis loci dat thermometro.

Die v. mens. Julii. Corporis pondus: 48,30 Kgr. Hepatis percussio in linea mamillari 4 Ctm. in linea sternali fere 2 Ctm. est lata, in linea axillari 8 Ctm. Lienis percussio adhuc 7 Ctm. Venter inferiore in parte mediocriter tumet. Lingua magis quam antea pallet et plane sicca est. Gingiva pallida est. Epigastrium hypochondriumque sinistrum paulo magis resistunt, quodsi tanguntur, dolore se affici dicit aegrotus; tumor percipi nequit. Cordis percussionis latitudo maxima in spatio quarto intercostali 4½ Ctm. Cordis ictus, si aegrotus cubat, non percipiuntur; cordis sonus uterque imbecillus, sed purus, pulsus filiformis, debilitas permagna est, ut aegrotus erectus stare non possit. Hujus diei faeces carent paene bile, colorem habent canum et pulti similes sunt aequabiliter spissae.

Die x. Aegrotus sine perspicuo frigore post meridiem ab hora quarta capitis doloribus affectus est caloreque.

Temperatura (axill.) vesp. 38,5° C. Puls: 100.

Die xj. Temperat.	mat.	38,8°	C.	Puls:	104.
- - -	vesp.	38,6	-	-	104.
- xij. -	mat.	39,5	-	-	120.
- - -	vesp.	39,1	-	-	120.

Respirationum numerus 16 — 20.

Urinae copia 250 Ctm. cub., pond. spec. 1,018. Corporis pondus: 49,10 Kgr. Lingua ex die superiore

primum colore cano est imbuta; appetitus jam decrescit, gustum amarum habet aegrotus.

Die xiij. Oris liquor acidus est itemque urinae. Quotidie bis excrementa reddit, quae similia sunt pulti concretae et argillae praebent speciem (Ferr. carbonic.)

	Temperat.	mat.	38,0°	C.	Puls.	120.
	-	vesp.	39,2	-	-	124.
Die xiv.	-	mat.	38,4	-	-	124.
	-	vesp.	39,6	-	-	124.
Die xv.	-	mat.	37,9	-	-	124.
	-	vesp.	39,6	-	-	124.
Die xvj.	-	mat.	37,6	-	-	124.
	-	vesp.	38,9	-	-	136.

Sedentis pulsus vix possunt numerari, in urina, acido nitrico impuro addito, non perspicitur colorum scala. Hepatis in linea mamillari percussio $4\frac{1}{2}$ Ctm. Extremitates sine calore sunt lividaeque.

Urinae copia 320 Ctm. cub., pond. spec. 1,022.

Die xvij. Pulsus radialis vix digitis percipi potest.

	Temperat.	mat.	38,2°	C.	Puls.	136.
	-	vesp.	38,7	-	-	136.
Die xviij.	-	mat.	38,8	-	-	128.
	-	vesp.	39,4	-	-	128.
- xix	-	mat.	38,6	-	-	140,
	-	vesp.	39,0	-	-	136.

Respirationum numerus est 20.

Urinae copia 200 Ctm. cub. P. spf. 1027.

Die xxj. Abdomen inferius paulum tumet, dextro in latere percussionis sonus inanis est; in abdomine

minima fluctuatio percipitur; dolor non adducitur tactu. Hepatis percussio urinaeque status ut antea. Pulsus vesperi numerari non possunt.

Die xxij. Aegrotus balbutit sub vesperum. Dentes gingivaque crusta pulla sunt obducta; aegrotus plane apathicus jacet et maximo cum labore respondet.

Die xxiij. Pulsus hodie numerari non possunt, vix percipi. Per totum diem aegrotus comate affectus est, vix ut exsuscitari posset. Vesperi hora octava audita, maxime affectus debilitate, mortuus est.

Quae in cadavere obducto reperta sint: Tabes est maxima, tota corporis superficies pallida, oedema exile pedum crurumque usque ad genua. Thorax est planus, panniculus evanuit, musculi quam maxime sunt minuti, in abdominis cavo parva seri copia est. Dextra in parte tres fere digitos hepar distat a costarum arcu, sinistra in parte non distat. Diaphragma dextro in latere inferiorem quartae costae marginem, sinistro in latere quintae costae marginem tangit. In sinistrae pleurae cavo copiosae exstant exsudationes sufflavae, in inferiore parte rari flocci fibrinosi. Pulmo sinister in inferiore lobo in adversa et posteriore pariete antiquis adhaesionibus ligamentosis cum pariete costali concrevit. Etiam dexter pulmo in adverso latere cum pariete costali concrevit. Mesenterium adipe plane caret. Pericardium circumdatum est siccis exsudationibus fibrinosis, admixtis nodis quibusdam tuberculosis albis.

Cor minus est, quam esse solet, laxum remissumque. Sinistro in atrio invenitur non multum

sanguinis ex venis profluentis nigri, itemque in atrio dextro, cerasorum colori similis unaque coagulata fibrina, quae in magna propagantur vasa. Sinister ventriculus excellit musculis flaccidis, valde atrophicis, qui colorem habent pallum canumque; trabeculae tenuissimae parvaeque sunt. Endocardium oedematis praebet speciem. Aortae valvulae sunt normales. Foramen ovale conclusum est. In arteriae pulmonalis cono muscularis tenuissima est, sunt etiam tenuissimae valvulae pulmonales. Ventriculus dexter nihil habet miri, dextri atrii muscularis item est atrophica. In sinistri pulmonis lobo inferiore adhaesionem videmus supra commemoratam; pars inferior exsudatione plane est compressa. Pulmonum pleurae superficies in superiore lobo pleuriticum paebet tegumentum. Lobus inferior in basi indumentum habet, ut ita dicam, album. Lobus superior cavernam habet ad nucis magnitudinem, impletam materia cana pullaque. Cavernae parietes modice sunt laeves; pulmonum parenchyma terminatum est infiltratione cana. Extrinsecus haecce caverna pleura terminatur tenuissima. Nodus magis extra positus complures habet infiltrationes ad lentium pisorumque magnitudinem. Ex broncho modice amplificato, qui hoc in cono diffunditur, substantia profluit lactis flori simillima. Majores bronchorum rami mediocrem habent injectionem. In pulmonis parte ea, quae pericardio est affinis, tres exstant nodi; infiltratio quidem plane est densa solidaque, pleura his in locis arctissime cum pulmone concrevit.

Tota superficies intus posita, quae pericardium versus est sita, densata est. Lobus inferior est compressus coloremque habet subfuscum. In pulmonum arteriae ramo majore thrombus est $1\frac{1}{2}''$ fere longus isque badius (sufflavus) rotundusque, qui quidem in complures hujus arteriae ramos minores propagatur, in quibus densissimus est.

In ramo, qui in inferiorem intrat lobum, ubi dividitur, thrombus quoque invenitur, qui $\frac{1}{2}''$ est longus. In bronchis majoribus substantia est plus minus pituitosa, parietes modice sunt injecti. Sinistra costarum pleura roseum habet injectionis colorem, in superficie coagulatum fibrinum est albicans siccumque. Sub hoc reperiuntur singuli tuberculorum nodi. Pulmo dexter supra maxime veteribus adhaesionibus, quae densissimae sunt et callosae, concrevit, neque segregari potest, nisi discissus. Lobus superior saepe constrictus est, densus solidusque neque nisi in inferiore margine aëre est impletus; in superiore margine induratio est fissilis, pulmonis parenchymate vasto, intra has partes tubercula sunt rarissima. Bronchi quidem in hac condensatione admodum sunt amplificati; membrana mucosa conspissata est, mediocriter injecta. In parte exteriore lobus superior mediocri affectus est oedemate, vi elastica omnino caret. Tuberculorum novi non nisi rari sunt. Lobus medius adhaesionibus est obductus.

Lobus inferior induratione circumdatus est solida, in lobi hujus parte superiore induratio est fissilis admixtis tuberculis; reliqua pars tactu solida

spissaque percipitur. Pulmonis arteriae ramus magnus jam thrombum habet 2″ fere longum, qui quo magis propagatur, eo exilior fit. Etiam bronchi ramus major membranam mucosam habet rubore exili perfusam.

In ventris cavo normalis est intestinorum status. Colon transversum aliquantum cum ascendente concretum est; in mesocolo aliquot sunt condensationes ad milii grani magnitudinem. Mesenterii glandulae in inferiore ilii parte pars amplificatae sunt, pars eaque major minimae, quae persectae infiltrationis caseatae praebent speciem.

Lien paullulum est constrictus:

longitudo maxima $4\frac{1}{2}$″,
latitudo „ $2\frac{2}{8}$″,
crassitudo „ $1\frac{1}{2}$″,

organon molle percipitur tactu, pulpa cervina (rubida) est.

Intestinorum serosa superficies pallida est sine anomaliis. In glandula lymphica (2′ supra valvulam) nodus est pisi magnitudine pellucidusque. In mesocolo invenitur condensatio cicatricosa, qua radii projiciuntur ad mesenterii basin S romanique curvatio major adducitur. In Ileo minima inest copia faecium bili similium, quae etiam usque ad jenjunum pertinent, sed in hac parte speciem praebent pallidiorem. Supra ipsam valvulam complures cicatrices inveniuntur membranae mucosae pigmentatae radiataeque, quae tamen submucosam non excedunt. In uno loco invenitur nodulus flavus, nodis tuberculosis similis,

qui solidissimus est. Membranae mucosae habitus fere idem est ac intestinorum catarrhi chronici. Paullo altius membrana mucosa modice est rubra. Villi sunt minimi atrophicique. Altius membrana mucosa magis magisque extenuatur. Supra valvulam 2′ fere exstat ulcus parvum ad lentis magnitudinem, quod jam ad cicatricem contrahi videtur. Etiam in agmine Peyeri exstat ulcus parvum, quod item ad cicatricem videtur contrahi. Quae quidem ulcera in altiore intestini parte iterantur. In jejuno fere rara est membrana mucosa, villi atrophici sunt.

Praeter membranae mucosae atrophiam etiam muscularis valde est perspicua. Jod superfuso degenerationem non exstare amyloideam demonstratur. In coeco coloque ascendente contenta sunt sufflava, pulti similia, quae bilis habent colorem; in colo transverso minus sunt larga densioraque. Membrana coeci mucosa exilissima est et atrophica.

In duodeno magna exstat copia pituitae bilis colorem habentis. Pylorus vehementer est contractus, membrana mucosa pallida est, in inferiore parte condensata. Hepar, si longitudinis diametrum spectamus, decurtatum est; dextra in parte 6″ altum est, extenuatur sinistrum lobum versus usque ad 4″, lobi sinistri altitudo summa 4″, latitudo summa 6″ utriusque lobi, crassitudo summa 2″. Capsula laevis tenuisque est. Hepate persecto culter adipe obducitur, acini parvi sunt, hepar persectum degenerationis adiposae praebet speciem. Majora sanguinis vasa fere carent sanguine. Lobus sinister paullo

solidior est. Fellis vesica, 3 fere digitos ab hepatis margine prominens, liquore abundat; impleta est bilis pullae, turbidae floccosae unciis 2—3.

Glandula suprarenalis valde est atrophica, ren minor solito solidus densusque; capsula cum superficie arcte cohaeret coloremque praebet subrubentem. In persecto substantia corticalis est tenuissima, color ejus ruber subalbicans est; papillae subcandidae sunt. Renis parenchyma valde est spissum. Ren dexter item est conformatus ut sinister. Vesica urinaria vehementissime est extenta pellucidamque continet urinam valde subrufam. Membrana mucosa oedemate exigua est affecta.

Epicrisis.

Intestini tractus commutationes post mortem repertae (ulcera dico complura in Peyeri agminibus supra valvulam, quae jam ad cicatrices videbantur pervenire cicatricesque complures membranae mucosae pigmentatas radiatasque) sine ullo dubio comprobant, ex morbi symptomatis supra in anamnesi prolatis plane recte nos judicasse, aegrotum tempore superiore affectum fuisse typho abdominali.

Aegrotus, in nosocomium nostrum quum reciperetur, modo certo definitoque intelligi poterat, ejus morbum nequaquam ex eorum esse numero, qui virium consumptione vehementiore et rapidiore debilitatem afferre solent.

Pulmonum tuberculosis non aderat, nam et sem-

per (id quod temperaturae mensuris diversis diei temporibus adhibitis comprobatum est) febri carebat aegrotus, tussis sudoresque nocturni deerant, neque percussione auscultationeque pulmonum parenchymatis commutatio pathologica cognosci poterat. Quarta demum ante mortem hebdomade sub sinistra clavicula percussionis sonus inanis et exspiratio prolongata inveniebatur. Et quamquam in cadaveris obductione utroque in pulmone tubercula et in sinistri pulmonis apice caverna ad nucis magnitudinem apparebant, tamen haec vitia minora sunt, quam quae anaemiam afferant, nam ejusmodi indurationes saepe per complurium annorum spatium permanent neque hominis valetudinem commodam summopere conturbant. Neque hoc in casu causas eas esse, immo vero ipsas sanguinis corruptione adductas esse, ea plane demonstratur re, quod antea nunquam catarrhum effecerunt, quod tribus supremis demum hebdomadibus aegrotus febri laboravit, quod denique nodorum tuberculosorum singulorum substantia non erat caseata.

Idemque cor morbo non erat affectum, nam cordis percussio erat normalis, cordis ictus imbecilli quidem, sed puri. Mira illa utriusque ventriculi musculorum exilitas post mortem reperta effecit, ut pulsus essent imbecilli itemque sanguinis circulatio exigua effecit, thrombi ut exsisterent et remanerent, non auferrentur.

Lien, aegrotus quum reciperetur, commutationis pathologicae signa non praebebat, sed omnes

hepatis partes ab initio deminutum percussionis habebant sonum, qui per insequens tempus, id quod comprobatum est mensuris repetitis, magis est auctus.

Post mortem hepar repertum est atrophicum degeneratione adiposa affectum; sed hoc non effecisse, sed ipsum quoque effectum esse sanguinis aegroti inopia, item sine ambagibus contendere possumus, nam omnes alii hepatis morbi in hoc casu omitti possunt, qui organi atrophiam afferre solent. Hepatitis parenchymatosa antea non exstitit, neque enim questus est aegrotus de molestiis (dolore summisso in hypochondrio dextro, dyspnoea, abdomine intumescente etc.), quae cum hac inflammatione semper sunt conjunctae, neque post mortem singulae hujus organi partes speciem variam diversamque aut abcessus praebuerunt. Ne cirrhosi quidem hepatis est effecta atrophia. Aegrotus enim quum viveret neque icterus, neque ascites, neque haemorrhoides, neque venarum amplificatio, neque lienis incrementum, neque urinae color pellucidus, neque haemorrhagiae observatae sunt. In obductione denique hepatis superficies non apparebat granosa, sed plane levis, qua quidem re simul comprobatur, ne syphiliticam quidem hepatitidem fuisse atrophiae causam. Icterus porro quum nunquam exstitisset, atrophia hepatis secundaria, bile consistente et sese accumulante exorta, omitti poterat. Id nemo contendere poterit, marasmum universalem effectum esse hepatis atrophia ea, quae rubra vocatur, nam ascites aberat et aegroti querimoniae, ex quibus detur-

bationes chronicae venae portarum circulationis colligi possent.

Denique atrophiam ne ex ventris quidem catarrho chronico ante typhum existente exortam esse, inde colligere possumus, quod aegrotus neque potator unquam fuit et antea bono appetito usus semper commodo gavisus est victu. Quae quum ita essent, jure optimo aliis omnibus morbi fontibus praetermissis hepatis atrophiam universo nutritae vitioso effectam esse judicavimus. Degeneratio illa adiposa post mortem inventa, quae vivo aegroto excrementis bile carentibus cognosci poterat, exorta est, sanguine per venam portarum non satis multo subvecto quum cordis contractiones essent invalidissimae, ita ut hepatis acini desides fierent et in degenerationem inciderent adiposam, qua quidem commutatione ex contrario marasmus universus profectus est, quoniam hepatis functione deminuta sacchari sanguinisque corpusculorum rubrorum praeparatio cessat et bilis separatione non sufficiente multi sales adipesque ciborum haustorum non dissoluti eamque ob causam non assimilati rursus segregantur.

Copia materiae renibus consumpta item non erat nimis magna, urina enim pallida erat, ejus copia per viginti quatuor horas collecta circiter 1500 Ctm. cub., pondus specf. 1,011, albumine, saccharo etc. semper carebat, itaque post mortem atrophicus modo inventus est ren, unde nemo superiore tempore inflammotionem exstitisse colligere posset. Neque unquam decubitus fuerat unde vires debilitari potu-

issent. Denique, quum simul hepar esset deminutum, ea ex re, quod aegrotus, in nosocomium quum reciperetur, doloribus inter processum xiphoideum et umbilicum se conflictari querebatur, tumor malignus in ventriculi pyloro colligi poterat marasmi causa. Hoc autem malum sine dubitatione omitti poterat, quod aegrotus vultus speciem pallidam quidem sed nequaquam cachecticam praebebat, vomitu, alvo astricta, ventriculi ectasia carebat tumorque digitis non percipiebatur.

Hoc igitur in casu omnes omitti poterant morbi, qui virium consumptione adauctiore magnam illam anaemiam efficere poterant, ita ut hic morbus modo ex materiae exceptione non sufficiente exortus esse posset; id quod non nisi functionibus in intestini tractu conturbatis esset factum, quum aegroti corporis pondus diaeta nutribili et ad concoquendum facili et medicamentis roborantibus adhibitis tamen non augeretur (id quod ponderationibus per singulas hebdomades factis comprobatur), immo vero sine ulla fere commutatione eadem anaemiae symptomata apparerent.

Sed intestini tractus morbus clarissimis his comprobatus est indiciis.

Lingua epitheliis carens, rubore roseo perfusa (quae colorem habet bovinae carnis rudis) id quod jam veteres medici grave intestini tractus morbi symptoma habebant; appetitus imminutus, querimoniae de compressionibus in epigastrio perceptis. Deinde excrementa non regulariter reddita, quae ab ae-

groto saepius reddantur per singulos dies et vel parvis opii dosibus praebitis plus minus pulti aquaticae erant similia. Sanguis et pus nunquam in faecibus est repertum, quarum color bile carens pellucidus et interdum, aegroto ferro dato, lapidi fissili similis erat. Identidem partim inquisitione microscopica partim chemica magna in faecibus adipis copia inventa est et etiamsi non analysis chemica diligens copiam adipis ciborum haustorum adipisque copiam faecium postea redditam inter sese comparabat, tamen modo certo definitoque dici poterat, hanc excrementorum copiam nimis esse magnam. Cibi crudi, rudes pituitae aut liquores puri scybalis mixti, qui in simplici intestini catarrho chronico inveniri solent, non apparebant in excrementis, quare, praesertim quum hic status per tam longum esset tempus, majus intestini malum conjici opus erat. Neque erant causae, quare hanc conturbationem tuberculis adductam esse arbitraremur, nam quamquam haec nequaquam est rara, tamen secundarium modo est malum, pulmonibus tuberculis impletis, quae quidem aegrotus in nosocomium quum reciperetur non sunt reperta. Neque aderant symptomata, quibus comprobaretur in intestino tumorem esse malignum; quam ob rem jure typhum abdominalem, quo aegrotus ante sex menses quam receptus est affectus fuerat, fontem harum intestini conturbationum esse concludi poterat, et quidem quoniam nusquam glandulae intumescentes inveniebantur neque, hepar quum esset deminutum, lienis amplificatio

existebat, intestini villorum atrophia diagnosi est conjecta.

Et autopsia quidem evidenter comprobatum est, recte sese habuisse diagnosim constitutam. Toto in ileo et jejuno mira quaedam erat villorum atrophia, ita ut membrana mucosa paene rasam praeberet speciem et inquisitione microscopica ab Ill. Grohe facta pauci etiam illi, qui existebant intestinales villi valde inveniebantur debiles epitheliisque privati; loco epitheliorum normalium non nisi parvi detritus granosi erant in villis. Mesenterii etiam glandulae valde erant atrophicae gangliaque nervi sympathici tam erant parva, ut vix possent inveniri.

Denique mihi liceat quaeso, insolitam illam pulsuum differentiam aegroti cubantis sedentisque proferre, quae quidem differentia testimonium erat cerebri anaemiae exsistentis. Quamquam parva pulsuum differentia cubantis sedentisque aegroti ejus, qui reconvalescit, semper observatur maximeque, id quod apud omnes constat, si typho abdominali defunctus est, sed credo ego, hoc morbi exemplum hac quoque in re ex rariorum esse numero, nam certe non saepe pulsuum numerus duplex invenitur in simplici loci commutatione corporis. Creditur hanc rem musculorum intentione aegroti sese erigentis adduci. Opinionem illam censeo recte sese habere, nervum vagum, si aegroto sese erigente non satis sanguinis ad medullam oblongatam profluat, per temporis punctum non nutriri, functionem ejus nervi, qui cordis motus impedit (Hemmungsnerv) interrumpi

itaque nervum sympathicum nimis valere et pulsus igitur adaugeri.

VITA.

G. Adolphus Ernesti, fidei addictus evangelicae, natus sum die XIX. m. Januarii a. h. s. XXXVII in Saxoniae vico, cui nomen est Rheda, patre Arminio, matre Julia e gente Bauer, quibus parentibus adhuc vivis gaudeo.

Imbutus primis literarum elementis a Dr. philos. Kühn, viro dilectissimo praeceptore humanissimo, in familia pastoris Weissbach, cujus perpetuae benignitati quantum debeam dicere vix possum, almam Thomanam, Lipsiae gymnasium, quod Beat. rectoris Stallbaum auspiciis florebat, per anuos VI frequentavi. Maturitatis testimonio ornatus ab Ill. Lehmann t. t. rectore magnifico universitatis Lipsiensis in numerum civium academicorum receptus et ordini medico adscriptus sum, Mens. Julii a. h. s. LIX. hanc almam Gryphiae sedem literarum petii, ubi ab Ill. de Feilitzsch, rectore magnifico, civibus academicis adscriptus paulo post apud Ill. Bardeleben, t. t. decanum spectatissimum gratiosi medicorum ordinis, nomen professus sum.

Scholis interfui hisce:

Lipsiae:

Ill. Drobisch: de logice.

Ill. Hankel: de physice experimentali.

Beat. Kühn: de chemia anorganica.

Ill. Mettenius: de botanice et botanice medica. Idem dux mihi fuit in excursionibus botanicis.

Ill. Naumann: de mineralogia.

Ill. Poeppig: de zoologia.

Ill. E. Weber: de osteologia, syndesmologia, myologia, neurologia.

Ill. E. H. Weber: de splanchnologia. Idem dux mihi fuit in exercitationibus cadevera rite dissecandi et in microscopisco-physiologicis.

Ill. Winter: de encyclopaedia medicinae.

Gryphiae:

Ill. Baier: de psychologia.

Ill. Bardeleben, de chirurgia, de akiurgia, de fracturis, de ophthalmiatrice. Idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus institutis.

Exp. Bengelsdorff: de arte formulas medicas rite concinnandi.

Ill. Budge: de physiologia, de embryologia, de arte cadavera rite dissecandi.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica generali et speciali, de parasitis.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi.

Ill. Haeser: de pathologia et therapia generali, de encyclopaedia medicinae.

Exp. Heineke: de repetitorio chirurg., de morbis organorum uropoëticorum. Idem dux mihi fuit in demonstrandis regionibus chirurgicis corporis.

Ill. Huenefeld: de chemia organica, de geologia.

Ill. Laurer: de materia medica, de arte fascias rite alligandi.

Ill. Niemeyer: de pathologia et therapia speciali.

Ill. Pernice: de arte obstetricia, de morbis neonatorum.

Ill. Ruehle: de pathologia et thearpia speciali, de morbis organorum uropoëticorum, de psychiatrice.

Exp. Schirmer: de operationibus ophthalmiatricis, de physiologia visus.

Ill. Schultze: de anatomia comparata.

Ill. Ziemssen: de morbis cutis, de auscultatione et percussione.

Scholis clinicis interfui:

Chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Bardeleben, obstetriciis Ill. Pernice, medicis et psychiatricis Ill. Ruehle, cujus summae benignitati et humanitati munus medici auxiliarii in instituto clinico medico per duo semestria debeo.

Omnibus his viris illustrissimis de me valde meritis gratias quam maximas a me accipere placeat.

THESES.

I.

Typhus abdominalis nunquam sine roseola.

II.

Thermometrum excellentissimum diagnoseos et prognoseos adjumentum.

III.

Resectio et vinctura gypsea optima sunt adjumenta chirurgiae conservatricis.